



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Magna Gloria Antiquæ & Novissimæ Domus  
Schwarzacensis A Magno Sacerdotio Sive Vita & Res  
Præclare Gestæ ... DD. Abbatum Celeberrimi &  
Antiquissimi Monasterii O. S. B. in Münster-Schwartzach**

**Friedrich Karl <Bamberg, Bischof>**

**Wirceburgi, 1743**

Joannes h. n. I. Abbas XXVIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64362](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64362)

eaque complura nobis bona adquisierit: à Comite quodam Friderico de Castell Advocatiam in Farckendorff, Sommerach & villarum Nordheimensis, Stad-Schwartzacensis & Reuppeldorffensis unà cum molendino aliisque bonis, ab Henrico autem Comite bona omnia in Altenschönbach & advocatiam in Brunn emit; decimam etiam in Dettelbach temporum superiorum injuriâ à Monasterio alienatam recuperavit. Vitam finiit anno 1316.

## SÆCULUM VI.

*Ab anno 1315. ad annum 1415. Abbates 9.*

Joannes, Henricus, Conradus, Waltherus II. Waltherus III. Conradus II. Crafft, Crafft II. Casparus.

JOANNES h. n. I. ABBAS XXVIII.

SÆculo sexto initium facit Joannes, qui Monasterium regere cœpit anno 1316. usque ad annum

annum 1334, quo vitam cum morte commutavit. Habebat ille litem cum Hermanno & Eberhardo de Thynwald, quâ de sylva Lichtenwald disceptabatur, postmodum pia Eberhardi sylvam nobis ultrò offerentis liberalitate compositam: præterea Dimbacensem Ecclesiam hortante Wolfframo Episcopo Herbipolensi extruxit, qui & confirmatis omnibus privilegiis nostris Parochiam in Gerlachshausen, cujus jus Patronatûs, ut vocant, pridem ad nos pertinebat, Monasterio tradidit.

## HENRICUS ABBAS XXIX.

Secundus Monasterii nostri hoc sæculo Abbas Henricus fuit, pietate in Superos, intemperatam præprimis Dei Genitricem nulli secundus. Ex quo enim Abbatiali illum dignitate unanimis suffragiorum consensus ornavit, anno scilicet 1334., multa suæ in B. V. pietatis specimina dedit: Duos ex Monasterio nostro in Dimbach semper commorari voluit, qui Divini & Mariani cultûs officia ritè obirent; hos autem licèt extra Monasterii septa versantes, à disciplinæ religiosæ norma